



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 5. Deduciturne id bene ex periculo facilis offensæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

accessus efficax, perfectus, voluntarius ad Deū. Porro accedere nos ad Deum hoc modo, est re vel jure possidere Deum, per visionem beatificam, & possideri nos à Deo per amorem, quo illum super omnia diligamus; at ad utramque possessionem tam activam, quam passivam, acquiritur nobis jus, per gratiam habitualement. Ex definitione accessus constat, quid sit recessus positivus: erit enim, malitia contraria, & destructiva talis accessus; cum ergo possibile sit, cadere nos actu, omni possessione tam activā, quam passivā divinitatis, & perpetrare culpam contrariam omni ejus possessioni, qualis est culpa mortalis; patet, efficacem culpabilem & perfectum recessum à Deo nos posse incurrere, per peccatum mortale; at penitus est impossibile, ut acquiramus omnem possessionem Deitatis possibilem, divinitas enim semper est magis & magis participabilis à creatura per amorem & visionem. Ergo accessus ad Deum per actum bonum, non potest esse tam perfectus, quam malus recessus per mortale.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probare, probaret enim, quod etiam cum Deus dimittit culpam, & evadit homo justificatus, quod adhuc maneat illi offensum Deus; quia eo casu adhuc non est dignus omni possibili gradu gratiæ & gloriæ. Rursus probatur argumento, quod actus amoris supernaturalis, sit sufficiens satisfactio pro mortali; quia ille actus est perfectus accessus ad Deum, accedere enim perfecte ad Deum, est re vel jure, possidere Deum per visionem, & possideri nos à Deo per amorem; hoc autem habetur, si quis peccator amet Deum: quia vi actus amoris supernaturalis super omnia, acquirit jus determinatum ad visionem, adeoque saltem æquale præterito: quia etiam præteritum jus, erat non nisi ad determinatum gradum visionis. Rursus etiam per mortale, potest esse recessus major, perfectior, magis voluntarius, neque enim voluntarium illud est infinitum; & tamen hoc non obstat, quominus sit ille perfectus recessus. Ergo nec amori obstat, quominus sit perfectus accessus, quamvis possit dari perfectior. Denique non est necesse recessum & accessum æquiparari; quia recessus à Deo est malum, si malum incurritur totum ex singulis defectibus; accessus autem est bonum, & quia unus accessus non est alter accessus, idcirco non habetur totum accessus; sed inde non sequitur ulla inæqualitas satisfactionis, si se reddat pura creatura dignam uno determinato gradu gratiæ: quia ad æqualitatem satisfactionis, sufficit, ponere se in tali statu, in quali fuit, cum non erat offensa; & tamen tunc non habebatur jus, nisi ad determinatum gradum gratiæ. Directè dici potest, quod accessus ille non sit perfectus perfectione, quā, in ratione accessus, dari non possit major; sed negando, quod non sit perfectus perfectione, quæ constituat in tali saltem gradu, qui habebatur, quando nondum erat suppositio of-

fensa. Item dici potest. Quamvis pura creatura non accedat amore ad omnem possibilem gradum gratiæ & gloriæ, sufficit, ut accedat ad aliquem, ut dictum supra. Denique dici potest, concedendo totum, & subinferendo: quod non implicet, ut sit satisfactio sufficiens, quamvis homo non se dignum reddat omni possibili gratia, nec ponat omnem possibilem accessum.

OBJICITUR 3. Ille quem ita quis offendit, ut sit dignus, quem injuriā & odio prosequatur offensus, justè spoliatur offensorem omni amicitia juræ; æquissimum enim est, non tractari ut amicum eum, qui voluntariè elegit esse inimicus; at peccatum mortale, est offensa Dei dignissimi amore; ergo est dignus peccator, quem Deus spoliatur omni jure amicitia. Quod verò actus aliquis & obsequium constituat aliquem dignum amicitia alterius, non sufficit ut is, in cujus gratiam obsequium exhiberet, constituatur debitor omnis amicitia.

RESPONDETUR. Hoc argumento probari, quod etiam pro creata offensa, non fiat satis; quia etiam creata satisfactio, non constituit offensum debitorem omnis amicitia. Quod si dicas sufficere ad creatam satisfactionem, ut offensum constituatur debitor alicujus amicitia, idem in præsentia etiam à nobis, secundum dicta superius usurpabitur.

Punctum Difficultatis 5.

Deduciturne id bene ex periculo facilis offensa?

RATIONEM cur sit impossibile, ut pura creatura pro mortali offensa, possit condignè satisfacere: sic proponit Lugo.

Impossibilitas hæc provenit ex magnitudine hujus offensa, quæ licet sit finita, tanti tamen ponderis est, ut pariat hanc impotentiam, nam sicut, cum sit culpa finita, parit tamen indignitatem, quæ meretur poenam infinitam secundum durationem, eò quod illa poena necessaria sit secundum rectam gubernationem, ad arcendum homines à tanta culpa: sic etiam, licet sit offensa finita, postulat tamen condignè non aboleri per satisfactionem finitam: alioquin si scirent homines, Deum condignè placari posse per nostram obsequia, & offensam omnino extinguere, facilius auderent Deum offendere. Et sicut pensat gravitate culpæ, & proclivitate ad peccandum, condignè statuta est poena æterna, quia minor poena non sufficeret id continendum homines; sic pensata gravitate hujus offensa, & hominum levitate, sequitur nulla hominis obsequia admittenda, pro condigna satisfactione, exceptis obsequiis Christi; qui sicut poterat condignè satisfacere pro poena æterna peccato debita, idcirco propter infinitam satisfactionem superantē demerita peccati; sic licet peccati offensa exigit non posse deleri nostris obsequiis de condigno, poterit deleri obsequiis Christi.

DICEN-

DICENDUM est. *Non recte exinde deduci, quod à pura creatura condignè non possit fieri satisfactio pro mortali.*

PROBATUR I. Et assumitur hoc principium: Potest non adesse periculum facilis offensæ, etiam posito quod acceptetur satisfactio posita à pura creatura; ex hoc medio sic formatur argumentum. Ex hac sententia sequitur, quod si non adesset periculum facilis offensæ, poni posset satisfactio pro mortali à pura etiam creatura. Hoc autem dici non potest; quia esset possibilis status, in quo pura creatura posset condignè satisfacere Deo pro peccatis; & tamen universales locutiones Patrum significant, quod à pura creatura pro mortali non possit fieri condigna satisfactio. Quod autem possibilis esset talis status, sic probatur. Tum quia videt Deus, per scientiam mediam, seriem intellectualium creaturarum talem, quæ non esset abusura facili acceptatione satisfactionum creatarum. Rursus, possibilis est status, in quo peccaret creatura, eliceretque actus satisfactivos, & post illos elictos, imitaret finis mundi; vel quod, illæ creaturæ satisfaciennes, ponerentur tunc in termino; posset ergo tunc creatura talis dicere; condigna est mea satisfactio, quia non est periculum tuæ offensæ; nemo enim in termino te offendit. Tum quia, vel possibilis est gratia efficax, quæ præstet, ne, ex acceptatione creatarum satisfactionum, oriatur facilitas peccandi, vel non possibilis? Si possibilis, ergo & satisfactio puræ creaturæ possibilis tunc erit; quia ratio illam impossibilis, nempe periculum facilis offensæ, jam tunc non daretur. Si autem est impossibilis talis gratia: da illius implicantiam. Et si Deo efficaciter salvare volenti, nullum humanum resistere potest arbitrium, cur Deo præcaventi suâ gratia periculum facilis offensæ, resisteretur? Tum quia sequeretur, quod, si nescirent homines non acceptari satisfactionem creatam, illorum satisfactio foret condigna; quia si id nescirent, non adesset facilis offensæ periculum. Tum quia non impedit Deum, quominus nolit sciri esse misericors, quamvis adsit periculum facilis offensæ; eò quod misericordia super exaltet iudicium; nec impedit quominus decernat Incarnationem, quamvis id quoad aliquid offerat periculum facilis offensæ, eò quod dicere possint homines; Abundè est pro nobis satisfactum, & impetrata gratia; etiam post peccatum danda. Ergo etiam non impedit Deum, quominus acceptet creatam satisfactionem, quamvis adsit periculum facilis offensæ; eò quod aliunde huic periculo obviari possit. Tum quia non esset periculum offensæ, si Deus decerneret & revelaret se quemcumque peccatorem ex templò damnaturum, vel si revelaret, se nulli daturum gratiam efficacem post mortale, nisi qui simul ab illo confirmetur in gratia, non revelando, cui id satisfactorius. Tum quia saltem non esset pericu-

lum facilis offensæ, casu quo non posset satisfacere nisi creatura, quæ sit caput cæterarum, idque habens gratiam tantam, quæ nulli creaturæ sit dabilis, quæ non esset caput, &c. Et tamen universalis est phrasis Patrum, quod impossibilis sit satisfactio puræ creaturæ pro mortali.

RESPONDEBIS. Quod istæ instantiæ ostendunt quidem posse tolli tunc periculum facilis offensæ; sed non ostendunt æquè tolli, atque cum scitur, non acceptari pro mortali satisfactionem, nisi positam à Persona increata.

CONTRA. Quia jam hac responsione conceditur, tolli periculum offensæ facilis, posita satisfactione creata, quamvis non ita perfectè, atque dum tollitur non nisi positione satisfactionis increatæ. Ergo ulterius non simpliciter necessaria est ad condignitatem satisfactionis satisfactio increata, sed tantum ad meliùs esse; hoc est ad perfectiùs tollendum periculum offensæ facilis, licet illud amoliat etiam satisfactio creata. Addo, magis sublatum fuisset periculum facilis offensæ, si nec decreta fuisset Incarnatio, aut non applicata pro lapsis; quia tunc cogitassent peccaturi, quod nullum jam superesset remedium; & tamen, hoc non obstante, Deus incarnatus condignè satisfecit. Ergo apparet, condignam satisfactionem merendam non esse, ex præcisa amolitione periculi facilis offensæ.

PROBATUR 2. Tum quia nullus Doctorum, vel Scholasticorum impossibilitatem satisfactionis in periculum facilis offensæ rejecit, erit ergo novitas in Theologia. Cyprianus Serm. de Passionem Domini, dicit, facilitatem veniæ laxare habenas peccatis, quod & nos concedimus; certè tamen Cyprianus exinde non intulit impossibilitatem satisfactionis. Et S. Bernardus aggravat peccata, pro quibus Dominum JESUM & quidem ita oportuit vulnerari; sed nihil ait de periculo facilis offensæ, tanquam reddente impossibilem satisfactionem creatam. Nec certè apud Sanctos Patres vel Scholasticos, hæc propositio: Impossibilis est satisfactio creata, habet hunc sensum; nulla satisfactio creata tollit periculum facilis offensæ; sed semper intelligunt, dignitatem satisfacienns creaturæ, non esse æqualem placandæ excellentiæ diviniæ. Tum quia Deus non movetur periculo facilis offensæ; quia ille qui habet in sua potestate, ne incurrat periculum, non potest moveri illo periculo, quis enim timet impendens malum, quod potest facere ne impendat. Paritas etiam de ordinatione pœnæ æternæ non tenet; nam etiam hæc pœna, non esset irroganda, si non foret infinita offensa, ut dictum alibi. Tum quia restat quærere: An possit pura creatura ponere actionem tam gratâ, quæ digna sit, ne Deus attendat ad periculum facilis offensæ, vel quæ faciat ne sit hoc periculum; Si non potest: cur non? & hoc potius erit responsio, cur pura creatura non possit facere satis-

pro mortali. Si potest: Ergo opponis de Patribus, universaliter enuntiantibus, quod pura creatura pro mortali condigne satisfacere non possit.

PROBATUR 3. Restaurando argumenta, quibus voluit solutionem providere Lugo.

1. ARGUMENTUM est; Sequitur ex hac ratione, impotentiam satisfaciendi, non provenire, ex intrinseca inæqualitate offensæ cum satisfactione creata, sed ab extrinseca lege non acceptandi satisfactionem creatam, propter inconvenientiam facilis offensæ, quæ inconvenientiā cessante, cum aliis offensæ sit finita; non videtur cur per obsequia finita satisfieri illi non possit? quod videtur esse contra sensum Patrum.

RESPONDET Lugo. Quod satisfactio hæc non sit iustitialis, adeoque non sistens in hoc, quod est reddere tantum, quantum abstulisti; sed ejus ratio sistit in hoc, dare tantum, quantum sat est, ut offensus condigne placetur ab offensæ priori; potest autem contingere, ut aliquis det tantum, quantum abstulit: & non det tantum, quantum sat est. ne offensus sit in posterum rationabiliter indignatus, quia ad hoc secundum faciendum, pensanda est etiam quantitas periculi, quod subit offensus ex facili placatione, quo periculo attento, taxatur satisfactio condigna, ita, ut illa sit intrinsece inæqualis, quæ huic periculo non obviat.

CONTRA 1. Sunt instantiæ supra allatæ, quibus probatur tali periculo commodè obviari posse, etiam creatâ satisfactione.

CONTRA 2. Quia aliud est dicere, hoc non est æquale magnitudini offensæ, & simul non tollit periculum facilis offensæ; & aliud est dicere, hoc quidem est æquale magnitudini offensæ, sed non aufert periculum facilis offensæ. Alia hæc duo esse, probari potest: Imprimis; quia providere periculo offensæ, spectat ad prudentiam potius, quam ad excellentiam læsam, exigentia autem satisfactionis spectat, & exigitur directe, ab excellentia læsa. Rursus in humano convictu, ista duo sunt distincta; hinc interdum offensus, post recepta plura obsequia, dicere potest; Ego quidem agnosco illum fecisse plusquam exigat mea offensæ, sed agitur mihi de: *Quid dicent alii*. Ergo apparet ista duo, esse distincta. Quæro ergo, his distinctis, cur non possit finita offensæ Dei, creata satisfactio esse æqualis, in quantum sufficiens satisfactio non tollit periculum offensæ? & si dicas posse hoc fieri, oppones te Patribus, qui in ipsa satisfactionis æqualitate, impossibilitatem agnoverunt; nec potes ad hoc recurrere, quia est periculum facilis offensæ, nam hoc aliud & distinctum caput est; & hic non nisi de priori quæritur.

CONTRA 3. Concedo hanc satisfactionem non esse iustitiam, tamen nego cum Patribus, quod creatura possit reddere tantum Deo, quantum abstulit, attendendo ad rationem offensæ.

Concedo quod ad satisfactionem requiratur, dare tantum quantum sat est, ut offensus condigne placetur; sed quære restat, cur id à pura creatura non possit præstari? Concedo pensandam esse quantitatem periculi; sed quære restat, cur pura creatura præstare non possit, ne jam sit periculum offensæ, id quæ positis suppositionibus raris & omnino extraordinariis. Tum quia argumentum factum sic restauratur. Sublato hoc inconvenienti, quod est periculum facilis offensæ, vel potest satisfacere creatura vel non? Si non: ergo in periculum facilis offensæ, id referri non debet, cum illo etiam ablato non sit satisfactio condigna. Si autem esset satisfactio condigna: Ergo id refert solum in decretum Dei, quod adjungis. Tum quia quod Deus decrevit non acceptare hanc satisfactionem, vel est ex vi præcisæ decreti? Ergo de se illa non est inæqualis. Si non præcisæ ex vi decreti; da repetitò quæsitam rationem; Cur pura creatura, non possit amoliri suâ satisfactione periculum offensæ, & cur pro illa satisfacere non possit?

2. ARGUMENTUM. Sufficenter tollitur periculum facilis offensæ, eò, quod non possit pro illo satisfieri, nisi viribus gratiæ, quam dare, est non nisi in potestate solius Dei.

RESPONDET Lugo. Tantam esse gravitatem divinæ offensæ, ut oporteat hominem illam apprehendere, tanquam sibi omnino incompenabilem, non solum viribus naturæ, sed etiam gratiæ. Si enim apprehenderetur saltem viribus gratiæ compenabilis, jam aliquo modo facilius redderetur offensæ.

CONTRA. Quæro, quare sit tanta gravitas offensæ, ut debeat apprehendi incompenabilis etiam viribus gratiæ, & cur non sufficiat illam apprehendi, ut incompenabilem viribus solis naturæ? præcipue autem, quia quando aliquis non potest aliquid propriis viribus facere, hoc ipso debet apprehendere illud sibi esse impossibile. Magis item vitaretur periculum facilis offensæ sic, si decreta non fuisset Incarnatio; & tamen hac facilitate manente, est adhuc condigna satisfactio Theandrica: ergo & satisfactio ex gratia, condigna erit, quamvis non amoliatur omnimodè periculum offensæ.

3. ARGUMENTUM est. De facto ex facilitate, quæ Deus remittit peccata, sequuntur eadem & majora inconvenientia, facilius enim homines peccant, eò quod sciant facile sibi à misericordia Dei relaxari culpas; & tamen hoc inconvenientiens non æstimatur de facto tantum, ut debuerit impedire institutionem Sacramentorum, & alia remedia remittendi peccata.

RESPONDET Lugo, aliud esse, quid peccatum postulet per se, ut juxta sui gravitatem vitetur, & aliud quid Deus ex sua misericordia facere possit; qui sicut potest condonare pœnam, quæ rationabiliter exigitur ad terrendos peccatores, ita potest condonare culpam, licet ex hoc

hoc ipso, faciliores reddantur homines ad peccandum.

CONTRA. Tum quia de hoc ipso quaeritur, cur peccatum postulet juxta sui gravitatem, ne attendatur ad quamcunque satisfactionem humanam, cum non postulet, ne ex misericordia condonatione, facilius homines, ad facile peccandum? Tum quia potest Deus culpam & penam remittere, ex misericordia, manente periculo facilis offensae; cur etiam condignè placari creatura non poterit, manente aliquo periculo offensae? Tum quia ne Deus miserans attendat ad periculum facilis offensae, praestet hoc misericordia; ergo ne ad idem attendat, praestet poterit satisfactio creaturae, si aliunde non sit inaequalis; ut non est inaequalis, quia ejus inaequalitas deducitur ex periculo facilis offensae.

Punctum Difficultatis 6.

Deduciturne id bene, quia supponetur pars debiti remissa?

Vasquez disp. 2. c. 5. & 6. ita discurre. Illa satisfactio non est sufficiens & condigna, quae compensat non nisi partem debiti. & de cætero supponit condonationem; jam autem satisfactio pro mortali, semper supponit condonationem; supponit enim condonationem debiti, quod est carere auxiliis gratiae; ergo illa satisfactio non est sufficiens.

DICENDUM EST. Exinde non rectè deduci im-

possibilitatem satisfactionis ponenda a pura creatura. PROBATUR 1. Quia debitum illud carendi auxiliis gratiae, quod condonari debere dicit Vasquez in omni satisfactione, vel pertinet ad culpam, vel pertinet ad poenam? si pertinet ad poenam: Contra est. Tum quia sequitur, putam creaturam non nisi pro poena satisfacere non posse, quia ipsum debitum quod remittitur carendi auxiliis gratiae, spectat ad poenam. Tum quia, si hoc debitum spectat ad poenam, ergo Vasquez non tangit propositum difficultatis: in qua quaeritur, non de poena sed de culpa. Tum quia si hoc debitum est poena, ergo ex principiis Vasquez sequitur, satisfacere pro culpa, puram creaturam posse; quia in principiis Vasquez, pro toto residuo, condignè satisfacit, præter debitum carendi auxiliis gratiae, inter residua autem est culpa. Si autem debitum illud carendi auxiliis gratiae, spectat ad culpam? ergo antequam supponatur esse remissa culpa. Sequela probatur, quia antequam supponatur elicitus esse actus satisfactivus, non supponitur esse remissa culpa, cum vi satisfactionis remitti deberet; & tamen ante illum actum satisfactivum supponitur condonatum esse debitum, carendi auxiliis gratiae; quia antequam eliciatur actus satisfactivus, supponitur haberi gratia, tanquam principium ponendae satisfactionis; consequenter, ante satisfactionem, erit remissio culpae, quia re-

missio debiti carendi auxiliis, quod debitum spectat ad culpam.

RESPONDERI posset, eodem instanti, quo remittitur hoc debitum, conferri gratiam remissivam peccati: adeoque non prius remitti culpam, ante remissionem culpae; sed si res sit de priori rationis, sicut prius ratione est pars una culpae, & postea alia pars seu formalitas culpae, sic poterit & prioritas rationis, in ipsa remissione culpae admitti.

CONTRA. Tum quia vi hujus doctrinae, etiam prius tempore posset remitti culpa, antequam remittatur culpa; quia posset prius tempore, remitti debitum carendi auxiliis, quod est culpa. Tum quia sequitur in principiis Vasquez, quod dum prius ratione remittitur culpa, stans in debito carendi auxiliis, jam aliae formalitates non sint culpa: quia aliae formalitates sunt jam compensabiles; & tamen ea quae sunt culpa mortalis, dicunt Patres, non posse à pura creatura compensari. Tum quia quod hoc voluerit Vasquez, & quā id probabilitate dixerit, ex doctrina ejus colligi non potest.

Cæterum videtur potius sentiendum, quod debitum carendi auxiliis spectat ad poenā, nam etiam macula peccati, reatus &c. spectant ad poenam. Et certe, si vel debitum illud deberet efficere culpam, vel culpa debitum: potius culpa efficeret debitum; quod signum est, illud debitum habere rationem posterioris; & sicut prior est offensā regis denegatioque munerum regiorum est poena, ita & in presenti.

PROBATUR 2. Quia sequeretur vi hujus doctrinae, etiam Christi satisfactionem non fuisse condignam pro nobis, quod probatur. Quia non nisi partem debiti solvit, quod ipsum probatur; est enim effectus misericordiae, ipsa Incarnatio, est item effectus misericordiae, quod voluerit Deus Theandrica opera pro redemptione acceptare & decernere, ipsumque peccatum incurrit debitum carendi redemptore. Neque hoc erit in præjudicium ipsius dignitatis Personae divinae; quia si mereretur peccatum, ne possit Redemptor pro illo satisfacere, illud esset contra dignitatem Personae; secus si mereatur, ne de facto ponatur: & si potest peccator mereri sine præjudicio dignitatis Personae divinae, ne sibi actu applicetur perseverantia finalis, licet non mereatur, ne possit applicari, ita & in presenti.

PROBATUR 3. Possibile est aliquam puram creaturam non habere debitum carendi auxiliis gratiae. Vel saltem possibile, ut formet Deus decretum, ut careat debito carendi; & jam non esset ratio cur illa satisfacere non posset, & quidem manens intra statum purae creaturae: quod tamen videntur negare Patres.

OBJICITUR. Non minus placet Dei amor, quam displiceat peccatum: ergo ille cæteroqui satisfactivus erit.